tam fæda erat Diſcipulis, vt vanæ mentis ambitionem tegant, & abſcondant adeundæ Patriæ affectu.

41. Matth.16. Prima ſedes promiſſa erat Petro in Eccleſia: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Matth.16.n.19. Et tamen filij Zebedæi primas cathredras ambientes ſubmittunt Matrem, quæ accedens ad Chriſtum, Matth.20. adorans, & petens ab eo, ait: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad* *Filij Zebedæi de ambitione verecundantur.* *ſiniſtram.* Matth.20.num.21. Cur ipſi fratres, cùm eſſent Domini conſanguinei, ac eius Apoſtoli, eum in omnibus ſequentes, per ſe ipſos negotium non expediunt ac accedentes ad Dominum pro ſe Chryſoſt. petunt, & loquuntur? D. Chryſoſtom. homil.66. *Cum hæc ab ipſis excogitata petitio fuerit, pudore victi, matris patrocinium aſſumpſerunt.* Verecundabantur, quòd cùm eſſent Chriſti Diſcipuli, ambitionis nota eſſent deturpati: ideo non apertè per ſe, ſed ſub tegumento per matrem totam rem explicant. De quo latius ſuo loco.

42. Geneſ.28. Iacob adepta benedictione à parente Iſaac, à domo paterna diſcedens, *Profectus peruenit in Meſopotamiam Syriæ ad Labam.* Geneſ.28.num.5. Cur adepta benedictione, ſtatim à domo paterna diſcedit? Cur potius, vt totius illius hæres, nō ibi reſidet, matri aſſiſtens, quæ ipſam benedictionem negotiari inceperat, vt totam rem ad ſtatum perfectum deduceret? Cur tam cito abiit? Iacob vt benemeritus accepit benedictionem, Deo diſponente; *Iacob ab ambitione declaratur immunis.* tamen, ne eius ſimplicitas, ac probitas aliqua ambitionis nota deuenuſtaretur, à domo proficiſcitur. Altáque prouidentia merito, ac famæ Patriachæ conſulitur: Merito, cùm impetrat benedictionem; famæ verò, cùm ab ambitionis nota expurgatur: ſícque merebatur, nulla tamen ambitione detentus illius, quod promerebatur. D. Zeno ſerm. de Zeno. Patientia. *Mitis,* ait, *diſcedit Iacob, vt probet, ſe meruiſſe, & non ambiiſſe, quod meruit.*

Matth. 18. *num.*2. Et aduocans paruulum, ſtatuit eum in medio eorum.

*Num.*3. Et dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum Cælorum.

VERSIONES.

*Syriacus n.*2. Et vocauit Ieſchua puerulum, eúmque ſtatuit inter ipſos.

*Vatablus n.*3. Niſi conuerſi fueritis, & effecti ſimiles puellorum, nequaquam ingrediemini in regnum cælorum.

ALTER TEXTVS.

Marci 9.*n*.35. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum, quem cùm complexus eſſet, ait illis.

Lucæ 9.*n*.47. At Ieſus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & ſtatuit illum ſecus ſe.

EXPOSITIO II.

43. *Exorto malo ſtatim occurrendum.* VIDENS *Ieſus cogitationes cordis illorum,* vt ait D. Lucas, ſtatim occurrit, ne ipſa contentio paulatim increſcat, & ad grauiora deueniat; nam, vt inquit D. Cyrillus, in- Cyrillus. choata paſſio facilè deuincitur; aucta, ac inueterata difficiliter amouetur. Et in hoc, vt dicit Abu- Abulenſ. lenſis quæſt.10. ſe verum Deum oſtendens, qui corda ſecreta penetrabat. *Aduocans paruulum,* ſeu, Græcus. vt eſt in Græco, *puerulum,* quod ſignificat admodum puerum. Rectè D. Paſchaſius. Diuinus Magi- Paſchaſ. *Morbi radici occurrendum.* ſter occurrit morbi cauſæ qui ex ambitione, ac quadam vanitate eſt ortus, medicamentum humilitatis applicat. *Statuit puerum,* ſeu collocauit, vt, Chryſoſt. quemadmodum obſeruat Chryſoſt. homil.59. non ſolùm verbis, ſed etiam rebus ipſis præſentibus humilitatem, ac ſimplicitatem doceret. Preme *Verbis, ac rebus docendum.* verbum *Statuit,* Albertus Magnus, hoc eſt firmiter, collocauit, vt tradita doctrina de humilitate à Alb. Magnus. Hugo. mente nunquam excideret. Seu *Statuit,* Cardinal. Hugo, quia vera humilitas eſt ſtabilis, & non declinat in vanitatem. *In medio eorum,* vt faciliter ab omnibus videretur; & quia mandatum de humilitate in puero repræſentatum æqualiter Diuinus princeps ad omnes dirigebat. Seu, vt inquiunt *Humilitas firma, & centrum virtutū.* Albertus Magnus, & Hugo. *In medio,* quia humilitas centrum eſt omnium virtutum.

44. *Concordia Euangeliſtarum.* D. Matthæus ait, quòd puerum *ſtatuit in medio;* D. Marcus, quòd illum *amplexus eſt,* ſeu, vt vertit Syriacus, *Cum recepiſſet eum ſuper brachia ſua.* Syriac. Pagninus vero, *In vlnas accepit.* D. Lucas ſcribit, Pagninus. *Statuit eum iuxta ſe.* Rectè Euthym. ſic explicat. Euthym. Primum ſtatuit puerum in media illorum. Deinde iuxta ſe. Poſtmodum amplexus eſt inter brachia. Puellus iſte, teſte Gloſ. in c. vnic. de Sacra Vnct. §. *Quis iſte puer* Gloſſa. *Propter hoſtiam;* & D. Ant. D. Th. Lyr. Ianſ. & aliis, Anſelm. aſſeritur fuiſſe D. Martalis diſcipulus D. Petri; qui D. Thom. ab eo in Galliam miſſus conuertit Lemouicenſes, Lyranus. quorum & Epiſcopus fuit. Simon Metaph. & alij Ianſenius. aſtruunt in eius vita, fuiſſe D. Ignat. ſed vt ait Abul. Metaphraſt. Abulenſ. de hoc non conſtat, ideo liberum eſt opinari.

45. *Amen dico vobis,* valdè aſſeueranter tradit Dominus hanc doctrinam, *niſi conuerſi fueritis,* ab hac ſcilicet æmulatione, & contentione, ac aliquali vanitate, quæ in Apoſtolis non fuit valde magna, & exceſſiua; ac proinde tantum extitit veniale peccatum, vt communiter Recentiores arbitrantur; indéque tamen impediens ingreſſum in regnum Apocal.11. Cælorum. *In quo nihil intrabit coinquinatum.* Ap.21. n.27. & ideo purgatorio prius expiandum. *Efficiamini ſicut paruuli.* Bene obſeruat D. Paſchaſ. lib.8. Paſchaſ. in Matth. non dixit, ſicut iſte paruulus, non enim aliquem paruulum determinate deſignabat, ſed naturam paruulorum, qui ſua conditione ſunt ſimplices, modeſti, humiles, & alieni ab ambitione. De quo quæſt. ſequenti. *Non intrabitis in re-* Carthuſ. *gnum cælorum,* meis fidelibus loco præmij promiſſum; nam, vt ait Carthuſianus, Hoc dicitur Apoſtolis in perſona omnium Chriſtianorum.

QVÆSTIO VIII.

Quare Chriſtus non poſuit in medio aliquem adoleſcentem, ſed paruulum, cui nos mandat aſſimilari?

46. Hieron. DIVVS Hieronymus ait, quòd *paruulum ſtatuit in medio eorum ſe ipſum, qui non miniſtrari, ſed miniſtrare venerat, vt eis tribueret humilitatis exemplum, vel alij,* inquit, *paruulum interpretantur ſpiritum, quem poſuit in cordibus Diſcipulorum, vt ſuperbiam in humilitatem mutaret.* Cui ſententiæ aſtipulatur D. Bernardus homil.4. ſuper Miſſus eſt. Bernard. *Studeamus,* ait, *effici ſicut paruulus iſte, diſcamus ab ipſo, quia mitis eſt, & humilis corde.* Hæc ſententia multùm moralis eſt, nam, cùm dicitur, vt obſeruat Paſchaſ. D. Paſchaſius homil.8. in Matth. *Statuit puerum in medio,* vel, *amplexatus eſt illum,* ſeu, poſuit ſuper brachia ſua, ſeu ſtatuit illum ſecus ſe; puer aliquis à ſe diſtinctus denotatur, ac ſignificatur.

47. Mandat Dominus nos effici ſicut paruuli, non vt ad infantiam redeamus; vnde Nicodemus, ſic verba Chriſti intelligens, ab ipſo redarguitur Ioan.3. Peluſiota. Ioan.3.n.10. ſed vt naturam paruulorum imitemur: non enim, vt ait D. Iſidorus Peluſ. lib.1. Epiſt.207. dixit. *Efficiamini* paruuli, ſed, *ſicut paruuli.* Et Pau- 1. Corint.14. lus 1. Corinth.14. n.20. ait: *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malita paruuli eſtote.* Et non admonet Dominus, vt ſimus ſicut paruuli in omnibus, ſed ſecundum aliquid. Nam, vt latè diſcurrit Abulen- Abulenſ. ſis quæſt.14. paruuli ſecundùm ætatem ſunt imprudentes, & facilè credunt, & citò ab opinione trahuntur. Sed tantum admonet, vt ſimus ſicut paruuli in innocentia, humilitate, ac vitæ puritate. Sic dixit Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis: *Eſtote* Matth.10. *prudentes ſicut ſerpentes.* Matth.10.n.15. *Cùm multa ſint in his, quæ cauenda ſunt,* docet Dominus, ait Paſchaſ. D. Paſchaſius, ſerpentis prudentiam imitari; illius *In homine, quod bonum eſt, tibi aſſume; malum expelle.* vero fraudulentam, & venenum fugere, & declinare. Quod bonum eſt, tibi aſſume; quod malum vero eſt, expelle. O vtinam homines hoc genium ebiberent erga proximos. Vide ſupra quæſt.5.

48. Hilarius. Propoſita interpretatio eſt de mente ſanctorum Patrum. D. Hilarius ait. *Pueri patrem ſequuntur,* *Pueritiæ candor deſcribitur.* *matrem amant, proximo velle malum neſciunt, curam opum negligunt; non inſoleſcunt, non oderunt, non mentiuntur; dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Reuertendum eſt igitur ad ſimplicitatem puerorum: quia in ea collocati ſpeciem humilitatis* Baſil. Sel. *dominicæ circumferemus.* D. Baſilius Seleucus Orat.18. inquit: *Puerorum mores imitamini, morum ſimplicitatem aſſumite; nulla illis de dignitate vox; illi primas non ambiunt, hac ægritudine non laborant, non norunt efflorescentem nobilitatem, non ſuper diuitiis elatione vana gloriantur. Inſuper conſueſcunt cum iis, qui vna ſecum ſunt ætate: videbis dominum ſimul, & famulum in omnibus conuerſantes: videbis pauperem puerum, & opulentum ignaros diſcriminis, quo diſtant inter ſe, ſedis celſioris ignaros, ignaros diuerſæ educationis. Verùm manent eorum ingenia ab affectibus pura, mens impermiſta malitiæ, voluntas à verſutia libera, ratio à malitia aliena,* Hieron. *animus ad malitiam inexercitatus.* Et ſatis elegan- Euthym. ter multa de hac re proſequitur. Quod etiam mul- Beda. tis de pueritiæ innocentia inculcant D. Hierony- D. Thom. mus, Euthymius, Beda, D. Thomas, & alij.

49. Leo. Secundò. D. Leo ſerm.7. de Epiphania. *Amat Chriſtus,* ait, *infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum.* Res mira! Ad paruulorum formam mandat nos Dominus componere ad cæleſte regnum obtinen- *Totum negotium imperij Chriſtiani in humilitate ſtabilitur.* dum. *Non intrabitis in regnum Cælorum.* Et cur ad tantum regnum expugnandúm, non mandat nos potius creſcere inſtar armati adoleſcentis, ſeu fortis gigantis? Ad quid menſuram paruuli requirit? Merito ſanè in ſola humilitate ſtat tota noſtra fortitudo, vt alta, & ſuprema regna acquiramus. Totum enim Chriſtiani regni negotium in hoc conſiſtit, vt humilitate paruuli fieri ſciamus. Perbelle Chryſoſtomus homil.59. in Matth. *Rectè* Chryſoſt. *autem,* inquit, *ante oculos monſtratione paruuli totam rem poſuit.* Perpende, in quo poſuit Dominus totam rem imperij Chriſtiani, non in copioſo exercitu, vel ingenti claſſe, ſed in monſtratione paruuli, ſeu in humilitatis documento.

50. Euſeb Gall. Tertiò. Euſebius Gallicanus homil. de S. Michaële. *Merite,* ait, *paruulum Dominus vocat, vt eius exemplo inſtruantur, qui maiores videri volunt.* Compone vtrámque rem Diſcipuli magnalia Cæli quærunt: Chriſtus eis obiicit puerum paruulum: optimè ſanè, & ad ſuum propoſitum Diſci- *Puritas ad Cælum via.* puli inſtruebantur; Cùm in paruulo vigeat puritatis candor, & ibi aperta oſtendatur via, qua ad Dei magnalia aſcenderent. *Vt eius exemplo inſtruantur, qui maiores videri volunt.*

51. Tertullian. Quartò. Tertullianus lib.4. contra Marcion. *Ecce Chriſtus,* ait, *diligit paruulos, tales eſſe docens, debere eos, qui ſemper maiores eſſe velint.* Quid inuenitur in paruulis, ſine quorum ſimilitudine regno cælorum non obtinetur? Hoc par- *In virtute nunquam ceſſandum, ſed ſemper progrediendū.* uulis eſt valde naturale, vt omni tempore, ſiue dormiant, ſiue vigilent; ſiue comedant, ſiue otientur, ſemper ingenitis creſcant augmentis. Ecce conditio inſinuata quærentibus regna cælorum, vt nunquam à virtutum profectu ceſſent, ſed ſemper nouis progrediantur augmentis, donec ad cælorum regnum perueniant.

52. S. Maximus. Quintò. S. Max. homil. de S. Michaële poſtquam differit de paruulo ſtatuto in medio, ſic ſubiicit: *Hæc enim noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, vt amantibus viciſſitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo patientior fuerit ad iniuriam, potentior conſtituetur in regno.* Regni ſublimitas illum petit, qui ſe paruulis adaptat. Sed quid habet paruulus, quod nos ad regnum euehat? Paruulus opprobriis, *Qui iniurias remittunt, ciues cæli.* vel alapis, ſeu flagellis cæſus, ſtatim obliuiſcitur, & ridet, & gaudet. Qui & hoc ingenio ſunt prædití, vt iniurias à memoria deponant; ſciúntque iniuriantibus referre gratiam, ingenti gloria ponuntur in Cælo.

53. Baſil. Seleuc. Sextò. D. Baſilius Seleucus Orat.28. *Quid tandem Saluator?* ait, *Eam fert offenſionem, & mores corrigit: Nam deuitato reſponſo procedit ad monitionem, & puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit.* Deſiderio regni flagrabant Diſcipuli: puero obiecto, tanquam cum pueris agit Chriſtus. Et cur eos tanquam pueros in hoc negotio reputat: *puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit?* Regni, ac dominatus appetitio, quædam puerilis ratiocina- *Appetitus regni ignorantia eſt.* tio, quædam infantilis ignorantia eſt; ipſe enim dominatus magni oneris, ac multorum laborum ſubuectio præexiſtit. Qui ergo ad regnum anhelat, non multa, & alta notitia, ſed valde debili, ac tenui pollet; indéque infantili ignorantia laborans, puero appoſito emendatur: *puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit.*

54. Oroſius. Septimò. Paulus Oroſius in Apologia contra Pelagium. *Infans,* ait, *nihil in ſe habet; niſi quòd diligit blandientem, & quòd panem ſuum, non in ſudore ſuo, ſed in precibus ſperans alimoniam vitæ ſimplici petitione conſequitur, quem fiduciali opere non meretur: qua tu comparatione commotus conuertere ad infantiam, vt reuertaris ad vitam.* Cur ad regna cæleſtia capeſcenda nos mandat Dominus potius adaptari ſicut paruulos,

Pſalm.18. Adorationem confugiendũ, in qua ſit tota ſpes.

quam ſicut gigantes,cùm de ipſo Verbo Incarnato dicatur Pſal.18.n.7. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Cur ergo Dominus nobis pueros in exemplo obiicit? Pueri hoc habent, quòd ad panem obtinendum non fidunt propriis viribus,ſed tantum precibus. Sícque hoc documento informamur, quòd ad cæleſtia capeſcenda, non in noſtris viribus,ſed in oratione ſpes noſtra reponatur.

55. Theophyl. *Seruus Dei in omnibus æquo animo.*

Octauo. Theophylactus. *Puer*, inquit, *neq́; in proſperis moleſtus ſit,neq́; in triſtibus deiicitur.* Imitatores paruulorum nos vult Dominus, vt cæleſtia comparemus. Pueri nec proſperis efferuntur, nec aduerſis triſtitia afficiuntur;aliquando in dilectiſſimæ matris morte irrident:tales ad regna cæleſtia optat Dominus, vt nec felici euentu ſuperbia euehantur,nec vè infauſto caſu mœſtitia comprimantur, ſed vbiq; in omnibus æquo animo ſe habeant.

56. Clem.Alex. *Omnia terrena dimittenda; vt ad cæleſtia euolemus.*

Nonò. Clemens Alexandrinus 1.Pædagog.5. *Rerum*, ait, *ac negotiorum,quæ hîc ſunt,iubens curam abiicere, & ſuadens ſolum Patrem attendere, puellos imitandos, quaſi alioqui non probauerimus nos filios Cæleſtis Patris, de nobis admodum ſolliciti, ſi ſollicitudinem de terrenis habuerimus.* Conuerſionem in puerilem ætatem in vobis vult Dominus; nam ſicut teneri paruuli nil proprium habent,nullâque eſt eis cura de acquirenda, retinenda, ac conſeruanda re aliqua,ſed ſolùm ad affectum, ac indulgentiam erga genitorem propenſione quadam ſunt dediti; ſimile ingenium in nobis exquirit Dominus, vt omni terrenorum cura dimiſſa, ſolum in diuinum Parentem ſimus intenti, vt ad cæleſte regnum perueniamus.

57. Pſalm.46. *Eleuatur homo,cum terena dimittit.*

Canebat Regius Vates: *Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.* Pſal.46.n.10. Cultores Dei, ac obſeruatores diuinæ Legis Dij fortes terræ vocantur. Sed vnde, quóve principio tantopere eleuati ſunt? An quia ſua fortitudine multa terrena bona conquiſierunt, eáque ſub dominatu ſuo obtinuerunt? minimè;ſed quia tanta fortitudine ſunt præditi, vt omnia terrena contempſerint, & abiecerint, nullóque mundialium appetitu eorum inuictus animus expugnari, ac deuinci potuerit; indéque tam ſublimati ſunt,vt ad ſupernam Patriam euolarint. Noſter D.Cyrillus lib.11. in Ioan.c.29. *Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt; fortes enim*, ait; *propter Deum terrenis omnibus ſpretis, ad ſuperiora nimium animo eleuati ſunt.*

58. Canticor.1.

Dilectam Animam introduxit Chriſtus Dominus in cellaria ſua,in cellaria ſuæ æternæ beatitudinis, ac felicitatis, ſícque ait illi: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Cant.1.n.8. Cur Dilecta Anima magis à Domino dicitur aſſimilata equitatui ſuo in curribus Pharaonis, quàm exercitui Madian, per Gedeonem deuaſtato Iudic.7.n.21. Vel exercitui Aſſyriorum percuſſo per Angelum ſub Sennacherib 4.Reg.19. n.35.Quid magis bene viſum eſt in curribus Pharaonis? In caſtris Madian aliqui, licet pauci,ſubterfugerunt:in exercitu Aſſyriorum euaſit rex viuus. At currus Pharaonis omnes deſcenderunt in profundum, ſicut plumbum, operuítque eos aqua maris: *nec vnus quidem ſuperfuit ex eis.* Exod.15.n.28.Inde ex hoc maximè placuit Sponſa Chriſto, vt introduceretur in cellaria ſua, quia in ea omnis affectus vitioſus Ægypti, ac terrenorum penitus extinctus, ac ſuffocatus eſt, vt nec vnus quidem, licet paruus, & exiguus ſupereſſet, ſed omnis omninò ſublatus, ac peremptus eſt. D.Gregorius Nyſſenus homil.3. in Cantica. *Fieri non poteſt*, ait, *vt aſſimiletur quiſquam equis,per quos in profundum ſunt demerſi currus Ægyptiorum, niſi per aquam myſticam liberatus à ſeruitute aduerſarij omni ſenſu Ægyptiaco, & omni erterno vitio, & peccato in aqua relicto,purè emergat,Ægyptiacæ conſcientiæ nihil ſecum adducens in vitã poſtea futuram.*

Iudic.7. 4.Reg.19. Exod.15. Cum abiicitur terrenorum affectus, in cælum anima introducitur. Nyſſen.

Matth.18. num.4. Quicumque ergo humiliauerit ſeſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum.

Num.5. Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit.

VERSIONES.

Syriacus n.4. Quiſquis autem deprimit ſe ipſum ſicut iſte puerulus, is erit maximus in regno cælorum.

Vatablus. Quiſquis igitur demiſerit ſeipsũ,ſimiliter puello iſti.

Syriacus n.5. Et quiſquis exceperit quaſi puerulum hunc in nomine meo, is me excipit.

Alij ex Syro. Qui ſuſcepit vnum paruulum, tanquam hunc, in nomine meo.

ALTER TEXTVS.

Marc.9.n.36. Et quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo,me recipit: & quicũque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.

Lucæ 9.n.48. Et ait illis: Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit: & quicumque me recipit, recipit eum,qui me miſit: nam qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt.

EXPOSITIO III.

59. Caietan.

PRIVS docuit Chriſtus, humilitatem eſſe neceſſarium ad regnum,ad eamque ſuos Diſcipulos exhortatus eſt ſuperiori verſu. *Efficiamini ſicut paruuli*, &c. Nunc verò,vt notat Caiet. ad quæſitum Diſcipulorum reſpondendo docet, humilitatem meritoriam eſſe maioritatis. Et cùm de maioritate, ac premio agit, iam non cum ſolis Diſcipulis,ſed cum omnibus loquitur. *Quicumque ergo*,ſiue ex veſtro numero,ſiue nõ,*humiliauerit ſe*, Syriac. *deprimit ſe ipſum.* Vatabl.Euth.*demiſerit ſe ipſum*, hoc eſt qui demiſſe ſenſerit de ſe ipſo, vt nulli,quantumuis contemptibili,ſe exiſtimet præferendum. Et non ait, humiliauerit verba ſua,geſtum ſuum,ſed *ſe*, hoc eſt animum ſuum,affectum ſuum; *ſicut paruulus iſte*, qui verè, & non fictè eſt alienus à faſtu vanitatis,ac ſuperbiæ,nullóſq; ábit honores. *Hic eſt maior in regno colorum*, ſeu, vt alij vertunt,Hic eſt ille maximus,de quo vos quæritis.

Suar. Vatablus. Euthymius.

60. Beda. *Cohærentia ſententiæ cum præcedentibus.*

Et qui ſuſceperit, Beda ſic hanc ſententiam cum ſuperiori conectit, quòd voluit Dominus præter humilitatem inculcare alium modum, ſcilicet hoſpitalitatem ad obtinendam maioritatem in regno cælorum.Mihi aptius videtur dicendum,quòd his Dominus probat, paruulum eſſe maiorem in regno cælorum. Acſi dicat: Tantæ dignitatis eſt, támque mei ſimillimus, meámque perſonam ita refert, vt qui vnum paruulum excipit, me recipit. *Qui ſuſceperit*, non ſolùm hoſpitalitate, ſed quocumque beneuolentiæ genere, *paruulum talem*, id eſt qui talis eſt affectu, ac animo, ſcilicet ſimplicitate, innocentia, ac humilitate, qualis iſte paruulus eſt ætate, ac ſtatura; ſic Syrus vertit, *paruulum tanquam puerum iſtum*, ideſt humilitate, ac modeſtia ſimilem huic paruulo. Ita exponunt Euthymius, Carthuſianus, Ianſenius, Lucas,Burgenſis, & alij. Et cùm D. Lucas ſcribat *puerum iſtum.* Chriſtus primò loquitur de puero verè paruulo, ſecundò de paruulo myſticè, ſcilicet humili, & abiecto, in quem dirigit ſermonem principaliter. Et notat Albertus Magnus, quòd ait Chriſtus, *Qui ſuſcipit vnum*, & non dixit plures: nam plures excipere, difficilè; vnum verò facilè: facilia autem Deus à nobis requirit.*In nomine meo*, mei cauſa,ſeu quia meus eſt,*me ſuſcipit* in membro meo myſtico. Marcus, & Lucas addunt, *Recipit eum, qui miſit me*, per me enim ſuſcipit eum, qui miſit me.Euthymius.*Pater ſiquidem appropriat ſibi eum, qui mihi defertur, honorem. Ego verò delatum illi, qui factus eſt veluti puer.*

Euthym. Carthuſ. Ianſen. Burgenſ. Alb Magnus. *Deus à nobis facilia requirit.* Euthym.

QVÆSTIO IX.

Quare maioratus in regno cælorum tribuatur humilitati, cùm potius Charitati videatur referendus?

61. HVMILITAS virtus eſt moralis;Charitas virtus Theologica, vt planum eſt: virtus autem Theologica,cùm habeat Deum pro obiecto immediato, multò nobilior morali virtute; & docet D. Thomas 1.2.q.62. art.2. imò inter ipſas virtutes Theologicas charitas excellentior eſt, vt docet Paulus 1.Corinth.13.n.13. *Nunc autem manent fides, ſpes, Charitas;tria hæc:maior autem horum eſt Charitas.* Ergo vbi eſt Charitas, maior eſt perfectio, maiúſque meritum eſt. Quomodo igitur maioratus in regno cælorum tribuitur humilitati: *Qui humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum?*

D.Thom. 1.Corint.13.

62. D.Thom. *Humilitas Charitatem comitatur.*

Reſpondet primò D. Thomas ad citatum Matthæi locum. Charitatem neceſſario comitatur humilitas; ſicut enim in ſuperbia ſunt duo, affectus inordinatus, & æſtimatio inordinata de ſe; ita & è contrario eſt in humilitate,quæ propriam excellentiam non curat; item non reputat ſe dignum: ergo homo quò plus humilitatis habet, eò magis diligit Deum, & magis excellentiam ſui contemnit,minúſque ſibi attribuit: ſic quo plus Charitatis, eo magis humilitatis habet. Ita D.Thomas. Vere humilis valde feruidus eſt Charitate; nam verè humilis nil boni in ſe videt, aut recognoſcit, ſed totum Deo refert, indéque mouetur ad eum ſummè diligendum, qui ob ſuam infinitam miſericordiam, ac pietatem tot, ac tanta illi conceſſit.

63. Lyra. *Humilitas virtutum fundamentum.*

Secundò.Lyra. Humilitas non eſt maior omnibus virtutibus, vt patet ex dictis ad initium quæſtionis. Tamen quia humilitas eſt fundamentum totius perfectionis;& ex magnitudine fundamenti colligitur magnitudo ædificij; ideo magnitudo præmij, quod debetur omnibus virtutibus, attribuitur humilitati, quia illa eſt fundamentum omnium. Et quia Diſcipuli ex aliquali vanitate contendebant, Quiſnam maior eſſet in regno; ideo Chriſtus opportune illis occurrit obiiciens fundamentum virtutum, humilitatem ſcilicet,per quam maioratum obtinere poterat.

Tertiò. D.Paul. Epiſt.14.ad Celantiam. *Nihil*, ait, *habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius, hæc enim præcipua conſeruatrix, & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium: nihilq́; eſt, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quæ, ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus.* Inde ait Abulenſis citata q 22. quòd humilitas magis inſeruit ad cuſtodiam virtutem,per quas habetur regnum,quàm quæcumque alia virtus: ideo rectè dicitur, quòd per ipſam efficitur quis maior in regno cælorum. 64.

Paſchaſ. *Humilitas virtutum cuſtos.* Abulenſ.

Cùm Dauid virtutibus, victoriis, ac regno eſſet valdè glorioſus, ita tamen ſe deiecit,vt coram Dei arca ſaltaret; cuius rei rationem reddens irridenti Michol, ſic ait: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius: & præcepit mihi, vt eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael,& Iudam; & vilior fiam, pluſquam factus ſum* 2.Reg.6.n.21. Cur cum tantis excellentiis immineret,tanta abiectione ſe demittit: imò ſua antiqua humilitate non contentus, de maiori, ac viliori cogitat, *& vilior fiam pluſquam factus ſum?* Cùm Dauid ſe videret donis, ac vitutibus adauctum, ad profundiorem humilitatem ſe conuertit, vt ipſa firmaret, ac ſtabiliret ea, quæ habebat, illáque ab omni maligno vanitatis incurſu cuſtodiret. D. Gregorius Magnus lib.5. in Iob cap.10. *Coram Deo*, ait, *egit debilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia.* Expende: *Vt illa ex humilitate ſolidaret.*Et cùm dona creſcerent, non prima ſua depreſſione quieſcit, ſed maiorem pro munimine intendit. 65.

2.Reg.6. *Humilitas munimen virtutum.* Gregor.

Poſt interfectos ſacerdotes Baal, cùm Iezabel minaretur mortem Eliæ, timuit, fugítque in deſcitum. *Proiecit ſe*, & *obdormiuit ſub vmbra ieiuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi,ſurge, comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis* 3.Reg.19.num.5.Valde mirum, quòd tantus Dei athleta timeat, dormiátque ſub arbore, non quacumque, ſed iunipero: paníſque ei offeratur, non alius, ſed ſubcinericius. Quid in hoc myſterij. Timet? Theodoretus. *Conceſſit Dei gratia naturæ, vt timorem ſuſciperet, vt ſuam cognoſceret imbecillitatem.* Dormit ſub iunipero, quæ, vt ait Cornelius à Lapide, arbor parua eſt, & humilitatem denotat. Datur panis ſubcinericius. Stephanus Cantuarienſis inAllegoriis Titelmani. *Panis ſubcinericius, qui datus eſt Eliæ*, ait, *noſtræ ſcilicet abiectionis memoria.* Cineres enim noſtrum puluerem menti obiiciebant. Sed ad quid modo, & non antea tot humilitatis motiua ex imbecillitatis timore, ex arbore, & ex pane excitantur in magno Parente Elia? Diſponebatur ipſe, vt ad ſublimes vitutes, ac magna rerum magnalia eueheretur, nimirum vt per quadraginta dies, & noctes ſine vllo cibo ieiunaret; vtque per totidem dies magna fortitudine deambularet abſque vlla parua quietis mora; ac etiam vt per omne id tempus altiſſima meditatione, ac contemplatione verſaretur, vt ponderat ibi Abulenſis: ac tandem deueniens ad montem Horeb, ibi 66.

3.Reg.19. Theodoret. Cornelius. Stephan. *Elias humilitate peruenit ad ſua magnalia.*